



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCXLVI. Papst Nicolaus IV. erklärt die Ehe des Herzogs Heinrich von
Schlesien mit Mathilden, einer markgräflichen Prinzessin, ihrer
Verwandschaft ungeachtet, für legitim, am 23. October 1288.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

presentes literas in euidens testimonium desuper conscribi fecimus et sigillorum nostrorum appensionibus roborari. Hujus rei testes sunt etc. Datum Angermunde, anno domini M. CC°. LXXXVII°. in festo natiuitatis beati Johannis baptiste.

Nach dem Copialbuche des K. Geh. Cabinets-Archives Cod. 4 in quarto Bl. 55. Bgl. Gerken Cod. I, 244.

CCXLV. Albrecht, Markgraf von Brandenburg, verzeiget dem Johanniter-Orden zur Comthurei Mirow einen Hof mit vier Hufen im Dorfe Starfow, am 17. Juli 1257.

Nos albertus, dei gratia marchio Brandeburgensis, omnibus cristi fidelibus, ad quos presentel peruenerint, salutem in domino sempiternam. Humane fragilitatis condicio eo infirmitatis iugo premitur, vt rite gesta quantotius deleat obliuio, nisi scriptis autenticis fuerint perhennata. Notum igitur facimus tam presentibus quam futuris, recognoscentel perpetuo in hiis scriptis publice protestando, quod nos curiam in villa Starfow, que fuerat hincrici dicti Nyzel et heredum suorum, cum quatuor mansis, adiacentibus supradicte curie, Comendatori curie Myrowe ac fratribus domus hospitalis Jerosolymitani sancti Johannis cum aquis, pascuis, lignis, agris cultis et incultis, cum omni utilitate, libertate, proprietate ac pleno jure donamus perpetuo possidendam. Volumus eciam, quod ab illo, quod vnrecht proprie dicitur, libera maneat curia supradicta et ab omni vexacione et molestia, quibus per nostros officiales gravari poterit, sit exempta. Insuper ab omni exactione precaria (sic) ipsam curiam reddimus absolutam, nobis nichilominus de talento quolibet in festo beati martini annis singulis persoluendos duos solidos denariorum Brandeburgensium referuando. Vt autem premissa per nos et heredes nostros inuolabiliter perpetuo obseruentur, presentel impressione nostri sigilli tradidimus consignata in memoriam sempiternam, adhibitis testibus infrascriptis, vt Ludolpho de plote, henrico et friderico soneke, friderico et Chotemar dargaz, henrico de Lankow tunc temporis aduocato, Bernardo de peccatele et quam pluribus aliis fide dignis. Datum Wizftoc, Anno domini M°. CC°. LXXXVII., in die alexii confessoris.

Nach dem Originale des K. Geh. Cabinets-Archives, Joh. Orden K. IX, Nr. 14.

CCXLVI. Paps Nicolaus IV. erklärt die Ehe des Herzogs Heinrich von Schlesien mit Mathilden, einer markgräflichen Prinzessin, ihrer Verwandtschaft ungeachtet, für legitim, am 23. October 1288.

Nicolaus etc. Venerabili fratri Brandeburgensi et Auelbergenfi Episcopis etc. Significarunt nobis dilectus filius Nobilis Vir henricus Dux Slezie, dominus Wratiflaue, ac dilecta in cristo nobilis mulier Mehtehildis, qui quarto sunt, consanguinitatis gradu coniuncti, cum inter homines terrarum ipsorum grauel inimicitie exorte fuissent, ex quibus hinc inde uastationel terrarum, aliaque dampna rerum, necnon et personarum, et etiam animarum pericula prouenerunt; Idem Dux attendens, quod per matrimonium inter ipsum ac dictam

Mehtehildem contrahendum predictae inimicitiae sedari poterant, ac per hoc potentiae ac feruitie tartarorum, qui nuper magnam partem Poloniae nequiter deualtarunt, quique denuo ad partes illas redituri timentur, cum ipsius Marchionis auxilio, diuina fauente gratia, potentissime obuiari, cum eadem Mehtehildi matrimonium per uerba de presenti contraxit, carnali postmodum inter eos copula subsecuta. Quare iisdem Dux et Mehtehildis nobis humiliter supplicarunt, ut cum a separatione huius matrimonii, si eam contingeret fieri, suscitari possent praefatae inimicitiae per contractum ipsius matrimonii iam sopite, prouidere ipsis in hac parte de dispensationis beneficio dignaremur. Nos itaque de circumspectione uestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati uestre tenore presentium committimus per apostolica scripta mandantes, quatinus praemissis ueris existentibus, super quibus uestram intendimus conscientiam onerare, cum praefatis Duce, et Mehtehildi, auctoritate nostra dispensare curetis, ut impedimento consanguinitatis predictae nequaquam obstante, in eodem matrimonio possint licite remanere, prolem eorum suscipiendam, legitimam nunciando. Quod si non ambo hijs exequendis potueritis interesse, alter uestrum in ea nichilominus exequatur. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem, X. Kalendas Nouembrijs, anno Primo.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Geh. Archive Epistol. Nicolai IV. Nr. 234. T. I. Anni I.

CCXLVII. Markgraf Albrecht von Brandenburg überläßt der Stadt Friedland das bei einigen Dörfern der Umgegend gefundene Uebermaß, am 20. November 1288.

Nos Albertus, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, Recognoscimus notum facientes omnibus quam presentibus tam futuris, quod cum Consensu heredum nostrorum, dum villa Schwichtenberg viginti mansos habuit et illos obtinuit debitam per mensuram, totum reliquum et residuum tam in lignis quam in agris cultis circa metas ville ejusdem, nostre Fredelandt vendidimus ac donauimus Civitati. Insuper villis Klockow et Hagen, in palude versus silvam tres funes, qui Sehl vocantur, habentibus mensuratos, et quicquid residuum est aut inueniri poterit, tam in pratis quam lignis, hoc integraliter predictae nostre Civitati tradidimus proprietatis titulo perenniter possidendum. Et ne in posterum ab heredibus nostris et successoribus, haec nostra donatio irritari valeat aut infringatur, hanc paginam civitati nostre dedimus supra dictae, Sigilli nostri appensione munitam, in evidens Testimonium et memoriam sempiternam. Hujus vero rei Testes sunt milites infra scripti Hinricus de Wildenhagen, Hinricus Milner, Hinricus de Polchau Pincerna, Hinricus Mandeuffel tunc temporis Advocatus, Henricus de Pula similiter Advocatus, Ludolphus de Platen, Henricus de Lanckow, Fridericus et Chatemar de Dargatz, Guntherus de Rehberg, Christianus de Dolle, Otto de Valckenberg et Wilhelmus et Lubrecht Porp, et quam plures alii fide digni. Datum in Verbelino, Anno Domini M. CC. LXXX. VIII. XII. Calend. Dezembr.

Klüber a. a. D. II, 142. Frank a. a. D. Bd. V, Cap. XIV, S. 106. — Der Ort der Ausstellung ist von diesen Editoren „Vberlino“ gelesen.